



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Victorii Explicationes suarum in Catonem,  
Varronem, Columellam Castigationum**

**Vettori, Pietro**

**Lvgdvni, 1542**

È Libro IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12981**

si id non est, hoc etiā demonstrat: non enim facile erat mel acapnon inuenire. Plinius lib. x x i i . cap. i i i . Oculorum claritati confert, aliquid cum pari portione mellis acapni. Quod Mel acapnon esset, & cur ita appellaretur, idem etiam Plinius x v i . capite libri x i . declarauit. Apud ueterinarię scriptores huius quoq; mellis mētio est, maximē ad oculorum uitia pellenda.

Quod Græci uocant οὐρεύσκην. Antiqua, & uera lectio: Græca dictio antea deprauata. Columelle priora uerba ita, etiam sine testimonijis ueterum librorum, legendum esse probant: cūm enim inquit, Extrahere cōceptum, & educere partum, uim Græci uerbi expressit.

## E LIBRO VIII.

**N**E feles aut uiuerra perrepat. Ita emendaui ope ueterum codicum: excusi olim libri insulse Vipera habebant: quis enim audiuit unquam uiperā in sublimiores domus partes ascendisse? cūm potius illa sub terra se abdere soleat, quemadmodum doctè cecinit noster Poëta,

Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu

Vipera delituit, cœlumq; exterrita fugit.

Ita autem scripserunt qui, quid viuerra esset, ignorabant. De Viuerris, & cur ita appellatæ, & quo munere grata hominibus esse soleant, docuit Plin. libri octauii l v . cap.

## E LIBRO IX.

**I**N irriguo solo frutices amelli. Codex Longobardus, Virgineo: alter, Virgeneo. Receptam lectionem loco suo tenui: quid tamen in manuscriptis inueni, tegere nolui.

EX